



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 13. Vtile esse vt subinde talia monstra terreant peccatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

auxilia petunt, quæ prius respuerunt. In quam rem fit vel vnicum hoc exemplum, quod Alexander ab Alexandro recenset. Ita enim loquitur.

## §. XIII.

*Vtile esse, ut subinde talia monstra terreant peccatores.*

Alexand.  
ab Ale-  
xandro  
lib. 4. Ge-  
nial. dier.  
c. 19.

Non est profectò fabulosum, quod apud sanctos viros autores memorant, ut cum tetrus spiritibus, quos demones vocant, congressum habuerint, illosq; diuersis imaginibus, ac specie multiplici prope deluserint: Siquidem nostra memoria id euenisse compertū est. Nuper amicus meus summus ingenio, & fide singulari, rem dictū admirabilem, hæc prædentibus nobis, sibi euenisse narravit: quod cum credi vix posset, multorum testimonio comprobavit: se, cum apud coniunctissimum & sibi familiarem Neapoli diuerneret, & noctis silentio clamantis de via, & vocem hominis auxilium implorantis audiuisset, cum accenso lumine accurrisset, ut quid rei esset inquireret, ibi Demonem, & dirum quoddam numen tetra & horribili specie conspexisse, qui iuuenem quendam clamantem & reluctantem, in via infestis manibus innadere quarebat, quo conspexto, cum miser ille ad ipsum, quem propè vide-

hæc



bat accurrisset, & ne apprehenderetur, quanto poterat nixu, ipsius vestem & manum apprehendisset, se, diuino sapius aduocato nomine, cum multum diuq; frustra fuisset reluctatus, vix tandem Dæmonem abegisse. Quo demum abacto, cum iuuenem animo consternatum in domum recepisset, nunquam quod se dimitteret, aut pallium relaxaret, quinisse efficere. tantaque eum torpedo inuasit, ut mente euicta sui compos non esset, cum sibi prorsus representari, & ante oculos obuersari illa species videretur. Tandem ad se redditus, rem quo pacto se habuerit enarrauit. Constat enim prauis eum moribus, & inciuilibus, cum DEI contemptu diu vixisse, in parentesq; tunc iurgatū contumelias & intoleranda probra dixisse, de notationibus execrationibusq; diris ab eis agitatum abisse. Hæc Alexander. Et adhuc miramur talia patientes? miremur potius talia facientes. Æquum est, vt turpes larvæ inuadant turpia facientes. Habet magistratus lictores, quos mittit ad rebelles. Dei lictores sunt dæmones, ex merito igitur illis plectit impios, ac præsertim parentum contemtores. Felix, qui, ne plectatur, territus exclamat auxiliumque vocat. Solent & parentes, vt terreant liberos suos,

Ec

illis



illis nescio quas umbras, & hirsuta monstra, extra hypocaustum vagantia, minitari. Memini & ego non ita pridem insignem ingenio & nobilitate adolescentem eiusmodi intemperijs agitatum, non ausum dormire solum, non egredi sine comite extra limen hypocausti, nocturno tempore: denique metuentem vehementer, ne à cacodæmone abriperetur; causam ipse probè nouerat. Quàm ille tum ad me cupidè cucurrit? quàm opem meam sollicitè implorauit? ac propè hanc ipsam mihi tunicam à corpore abstulit, cupiens, ut ad Exercitia spiritualia eum promouerem. Sed non erat tum tempus eum admittendi: satis illum diabolus exercebat, cuius terriculamenta illi utile erat experiri, donec disceret causam potius molestiarum, quàm molestias ipsas exhorrere. Sic & Apostolus olim fecit, ita scribens ad Corinthios: *Ego quidem absens corpore, presens autem spiritu, iam iudicavi ut presens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri IESU Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri IESU tradere huiusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus saluus fiat, in die Domini nostri IESU Christi.*

1. Cor. 5. 3.

CAPVI